RESPONSUM R.P.D. CAMBIJ ANSELMIJ CAN. FLOR. VIC. GEN. FAESULARUM, S. OFFICIJ...

Anselmo Cambi

RESPONSVM

R. P. D.

CAMBII ANSELMII

Can. Flor. Vic. Gen. Fęsularum,
S. Officij Consultoris,

AD DVBIVM

Quid liceat, vel non liceat facere circa veneratione hominum cum aliqua fama martyrij vel sanctitatis demortuorum, ante eorum Beatificationem, seù Canonizationem, sine Sedis Apostolicæ licentia.



FLORENTIÆ, Typis Francisci Honofri.
Superiorum permissu 1657.



ADSIT DEVS.

AD DVBIVM PROPOSITVM verè, & breuiter per sequentes Concluſiones reſpondebitur.

Sit prima Concluſio.

Vmquam fuit mos in Eccleſia Catholica venerari homines mortuos tamquam Sanctos antequam publica auctoritate legitimorum Iudicum Eccleſiaſticorum eſſent recepti, & approbati; hoc Sancti Auguſtini teſtimonio tom. 7. in breuiculo collat: cum Donatiſtis probatur in collatione diei tertij cap. 13. dum habet, quod Epiſcopus in Numidia ſcripſit ad Carthaginenſem Epiſcopum de his, qui in ea Prouincia tunc temporis martyrio feliciter occubuerunt: quos omnes re matura diſcuſſa Martyrum honore, & cultu eſſe dignos, benignè ille reſcripſit, extat etiam in huiuſmodi re alterum, ac certum Optati Mileuitani teſtimonium lib. 1. contra Donatiſtas.

Legitimi autem Iudices erant Romæ Pontifices Romani; in Prouincijs autem Epiſcopi, &

Concilia prouincialia, vt paulò post dicetur. Et propter hanc causam Romæ S. Clemens Pontifex primus fecit septem Regiones diuidi septem Notarijs fidelibus Ecclesiæ, qui gesta Martyrum solicitè, & curiosè vnusquisque per regionem suam perquireret; Antherus Papa gesta Martyrum diligenter à Notarijs exquisiuit, vt in Ecclesia reconderet; Fabianus Regiones diuisit Diaconibus Regionarijs, & fecit septem Subdiaconos, qui septem Notarijs imminerent, qui gesta Martyrum in integrum collecta Romano traderent Pontifici, vt ea ipse perscrutaretur, & salubriter probanda probaret; Damasus, & Anastasius Bibliothecarius in vita Clementis, Antheri, & Fabiani, ac ipsemet Fabianus Epist. 1. ad Ecclesiæ Catholicę Cõministros.

In Prouincijs autem Episcopi (qui olim poterant Sanctos canonizare, antequam hoc Sedes Apostolica legitimis de causis sibi reseruaret) tum ex Apostolica traditione, tum ex Cõstitutionibus Romanæ Ecclesiæ omnem etiam diligentiam adhibebant, vt Sanctos probarent, antequam populis Fidelibus colendi proponerentur, vt colligitur ex S. Augustino, Optato locis allegatis, &

ex

ex Troylo Maluetio Canonico Bononiensi in tract. de Canonizat. Sanct, dub. 2. num. 1. & seqq.

Idem præscripsit Fidelibus obseruandum Fabianus Papa Epist. 1. ad omnes Ecclesiæ Cõministros, & ita oportuit constituere, ne in cultu, & veneratione Sanctorum, quod est magni momenti in Ecclesia Dei Fideles decíperentur eos videlicet pro Sanctis, & Dei Amicis venerando Miraculorum intuitu, qui inimici Dei essent, cum miracula aliquando possint fieri per malos homines, ac dæmones cap. teneamus. 1. quæst. 1. glos. in cap. 1. in verbo Miracula de Reliq., & veperat. Sanct. D. Augustinus lib. 10. cap. 16. de Ciuit. Dei, & alij.

Et hæc olim initio crescentis Ecclesiæ, & sequentibus deinde seculis inuiolabiliter obseruata fuerunt in Martyribus recipiendis, in quibus minor, quàm in Confessoribus approbandis difficultas esse poterat, cum in causa Martyrij potissimum charitas, constantia, & fides, (sine qua nihil prodest) in perferendis tormentis inspicerentur. Causa autem hæc patentissima esse solebat, vt dicetur in sequenti immediatè conclusione. Nam S. Augustini, Optati, & Fabiani testi-

testimonia supra relata de Martyribus probandis agunt.

Irreligiosus autem prorsùs, & temerarius semper fuit habitus, qui publicum cultum alicuius Martyris nondum probati, & recepti in Ecclesia voluisset inducere. Præterea illud omninò certum, & exploratum est, probatos tantùm publica auctoritate Ecclesiæ Martyres, & Confessores fuisse in Catalogo Sanctorum. & Martyrologijs Ecclesiasticis S. R. E. illatos, cùm Sanctorum Canonizatio habeatur per traditionem in Ecclesia Dei secùdum Pegnam in Direct. Inquisit. p. 2. Comment. 42. sic ex Synodo Nicena 2. Act. 3. §. his itaque sex Synodis, & benè cõgruunt quæ refert Rocca d. Comment. de Canonizat. SS. cap. 5. & consequenter minus probabile videri, quod asseruit Eminentissimus D. Cardinalis Bellarminus tom. 1. controuers. lib. 1. de Sanctis cap. 8. circa finem, videlicet Sanctos veteres cepisse coli in Ecclesia vniuersali non tam lege, quam consuetudine; cum nullus vnquam Sanctus fuerit aliquando in Ecclesia receptus, & cultus, sine certa Ecclesiæ lege, & legitimo Decreto, vt verè existimauit, & probauit Eminentissimus

D. Car-

D. Cardinalis Baronius in Notis ad Martyrol. Romanum die 2. Aprilis per hæc verba: Constat quidem peruetustum fuisse morem in Ecclesia Catholica, vt nullus, nec Martyr quidem, absque aliqua præuia discussione, & approbatione inter Sanctos recenseretur; & Optatus Mileuitanus tit. 1. aduersus Parmenianum multo antè significauit; Nefas fuisse venerari Reliquias Martyris alicuius non vindicati, hoc est, nondum probati, & recepti inter Martyres per Primatem Episcopum adhibitis in consilium maturè collegis Episcopis, vt tunc moris erat, & latè aliam prosequutus docuit Ioannes Molanus in lib. de Martyrologijs.

Sit secunda Conclusio.

Semper in Ecclesia Dei viguit, & viget hæc doctrina, vt de præcauenda falsorum Sanctorum, Reliquiarum, & Martyrum veneratione certæ leges, ac Sanctiones Ecclesiasticæ constituerentur, ob plurimas, quæ desuper oriri solent difficultates; & vt vera à ludificatorijs discernantur, & vt adulterini Sancti, Pseudomartyres, aut incerti à veris, & fide, & charitate communionis Catholicæ probatis distinguerentur, vt falsis merito denegaretur cultus, qui veris

Sanctis

Sanctis iure debetur; de hac enim re hæc in primis
Concilia salubres tulerunt Sanctiones.
Concilium Carthaginense primum cap. 2.
Concilium Laodicenum cap. 9. & cap. 34.
Concilium Gangrense cap. 20. refert Gratian. in c. si quis per superbiam 30. dist.
Concilium Aphricanum refert idem Gratian. in cap. placuit, vt Altaria de consecrat. dist. 7.
Concilium Eppaonense cap. 25.
Concilium Brachatense 3. cap. 5. aliàs 6.
Concilium Moguntinum cap. 51.
Concilium Lateranense sub Innocent. III. cap. 62. refertur in cap. 2. de Reliq. & Venerat. Sanct.
Concilium Tridentinum Sess. 25. tit. de Inuocatione, Venerat. & Reliq. Sanctorũ.

Sit tertia Conclusio. Sedes Apostolica antequàm in Coelitum vindicatorum agmine Martyres in Ecclesia Militante ascribat, quibus Deus iam Canonizationis honorẽ habuit in Triumphante sedulò incumbit, vt Causa motiua propter quam Martyrium passi sunt necessariò probetur, tum causa non pœna faciat Martyrem ex verb. cap. 65. quæst. 1. D. Pauli Epist. ad Galat. cap. 5. Vide quantum

tum bonum sit charitatis. Si ita Martyrum ferimus, vt nostras velimus ab hominibus Reliquias venerari: si opinionem vulgi sectãtes intrepidi sanguinem fuderimus, huic operi non tam pręmium, quam pœna debetur, & perfidiæ magis tormenta sunt, quam corona victoriæ, & S. Augustinus epist. 61., nisi tamen huiusmodi causæ, adeò esset manifesta, vt aliqua probatione, vel inquisitione non indigeret, quæ causa præcipuè debet esse defensio, atque confessio Catholicę fidei, nec non eorum, quę fidei annectuntur, vt S. Io: Baptistę euenit, qui affirmans Herodi non licere habere vxorem fratris sui, Martyrium pro hac veritate passus est, ideoque illum Martyrem appellat idem D. August. Psalm. 140. tom. 8. Nec Miraculorum inquisitio, & interuentus in Martyris canonizatione necessarius est, vt elatè patet exemplo supra relati S. Io: Baptistæ, & SS. Innocentum teste Augustino Triumpho in Summ. de potest. Eccl. quæst. 16. art. 3. & Roccea de Canonizat. Sanct. cap. 35.

Neque obstat, quod afferunt, qui supra recitatis niuntur auctoritatibus nempè consueuisse sine Apostolicæ Sedis prævia discussione

Martyres coli ab Ecclesia breui temporis cursu, postquam mortem pro Christo oppetierunt, cum Sedes Apostolica soleat differre Canonizationem longa temporum serie pro indaganda veritate circa Sanctitatem teste S. Chrisost. homil. 53. in Matb. 15. tom. 2., sed hoc ferè olim procedebat in Confessoribus, non in Martyribus, quia antiquitùs Summis Pontificibus, & Senatui Apostolico cuncta, & mirabilia gesta Martyrum notissima erant, vel ex legitimis informationibus Episcoporum, vel ex relationibus ex integro cónscriptis per Notarios ad gesta Martyrum describendum destinatos, (in quorum locum in præsentiarum suffecti sunt Prothonotarij Apostolici, vt inquit Rota in decis. 1033. part. 3. diuers. lib. 3. num. 1. & Cassan. in Catal. gl. Mund. part. 4. consid. 29.), vel quia ipsimet Pontifices per se ipsos Martyrũ passiones pro Christi nomine Romæ videbant, idcirco tales facilius, & leuius expediebant, & breui temporis cursu post sustentas Martyrij pœnas Fidelibus venerandos exhibebant Ioc Andr. in c. vnic. de Reliq. & veneràt. Sanct. in 6. Et ita dicit tenere Hostiens. In Martyribus recipiendis, & Confessoribus ap-

pro-

probandis diuturnitas temporis non erat de necessitate ante Apostolicæ Sanctionis Vrbani Papæ VIII. prohibitionē, qui optimè duxit Sanctorum Canonizationem differre per longissimum tempus, eusque immemorabilem curfum, vt Miraculorum, Virtutum, Vtraque probitas Canonizandi magis elucescat, sicuti etiam olim id agere solita fuit Sedes Apostolica, quo magis opera pietatis in vita, & Miracula post mortem vindicandi discuterentur, vt euenit de S. Henrico Angliæ Rege inter Sanctos relato ab Alexandro III. elapsis centum fermè Annis post eius obitum, de S. Stanislao Episcopo Cracouiensi per Innocentium IV. in Martyrum catalogo ascripto elapsis post eius Martyrium centum septuaginta quinque Annis, & recèns de S. Francisca Romana in Catalogum Sanctorum cooptata per Paulum V. quæ ante centum sexaginta Annos piè obierat, & consultò Canonizationem procrastinādam duxit Coelestinus III. constitut. 1. incip. Benedictus, &c. Quandocunque verò sine longa expectatione habebat Pontifex probationem vitæ, & Miraculorum, Canonizationis honore illos honestabat, vt In-

nocent. Hostiens. & Zabarell. ac alij firmant in c. 1. de Reliq. & vener. Sanct. vndè Innocentius II. ad Canonizationis actum S. Vgonis Episcop. Gratianopolitani deuenit elapsis à die obitus duobus tantum annis, Alexander IV. Ecclesiasticam vindicationem S. Claræ promulgauit elapsis post eius obitum duobus itidē annis, Gregorius IX. illam D. Antonij de Padua post eius obdormitionem in Domino anno tantum præterito. Innocentius IV. illam S. Eadmundi Cantuariensis Archiepiscopi vno itidem post obitum anno, & idem Innocent. IV. S. Petrum Martyrem post eiusdem mortem inter Sanctos retulit anno nondum elapso, vt apertè patet in Constitutionibus super eorum Canonizatione ab Apostolica Sede emanatis.

Sit quarta Conclusio. In Confessoribus probandis maiorem diligentiam adhibendam censuit Sancta Romana Ecclesia, quam in Martyribus, & ratio est, quam afferunt communiter Canonistæ in cap. 1. de Reliq. & venerat. Sanct. vbi Innocent. num. 1. in fin. Hostiens. num. 6. in fin. vers. licet autem Io: Andr. num. 4. in fin. vers. licet autem vita, & alij hos sequuti. Quia licet aliqui secūdum actus exterio-

teriores Sancti videantur, potuerunt tamen in secreto vitã ducere laxiorẽ, & propterea memorati Doctores ibidem, & alij communiter sequuti, asseruerunt Confessores non esse canonizandos, neque in Romanum Kalendarium referendos propter solam apparentem vitæ sanctitatem, quæ cum possit esse ficta, vel simulata, & non ad bonum finem, immò potius appetitu inanis gloriæ, ad actum canonizandi non sufficit; sed necessariò oportere Miracula per eorum intercessionẽ in vita, in morte, & post mortem facta probare Gregor. IX. Constitut. incip. Cum dicat, & illa diligenter examinare Ioannes XV. constit. incip. Cum conuentu neq; Romanam Ecclesiam consueuisse canonizare Confessores, sine operatione Miraculorum, ad quæ examinãda exquisitam perquisitionem habet, vt omnem prorsus fraudem, & deceptionem excludat, videlicet exactè interrogando Testes adhibendos de Circumstantijs Miraculorum, qui contestes de eadem re esse, causamque scientiæ explicare debent cap. Venerabili cum ibi not. 52. de Test. Archidiac. in cap. nec mirum caus. 26. q. 5. num. 7. Alexand. cons. 100. lib. 5. num. 5.

Atque

Atquè hanc penitus consuetudinem in actu practico retinuit, & retinere solet Sancta Romana Ecclesia.

Sit quinta Conclusio. Romana Mater Ecclesia Veritatis Columna antequam ad canonizandos Confessores deueniat præter vitæ sanctitatem, & miracula, multa alia exigere consueuit, nempè instanter, & pluries multiplicatas præces Magnorum, Populorum, & Personarum Ecclesiasticarum intercedentium pro Canonizatione; cõtinuationem miraculorum; constantem famam de Sanctitate illius, qui petitur canonizari etiamnum mortalis dum viueret, & postquam ab humanis est segregatus: memoriam eius beneficẽtissima meritorum opitulatione sustentam, ac plura alia, quæ referunt Canonistæ in cap. 1. de Reliq. & venerat. Sanct. vbi Hostiens. n. 3. 4. & seq. Io. Andr. n. 3. Iacob. Castellanus de Canonizat. Sanct. quæst. 8. princ. Cassaneus in Catal. glor. Mund. part. 3. considerat. 50. Troyl. Maluet. d. tractatu de Canonizat. Sanct. dub. 4. Franciscus Penia Rotæ Auditor in vita Sancti Didaci cap. 2. lib. 2. & in vita S. Raymundi lib. 3. cap. 1. Clemens VIII. in Constitut. 77. Canonizat. eiusdem S. Raymundi.

Hanc

Hanc tam exactam diligentiam, & studium Sancta Romana Ecclesia adhibere consueuit ad excludendas fraudes, deceptiones, illicita lucra, & ambitiones multorum, qui sæpè inani Sanctitatis nomine suorum gloriantes, populorum simplicium, & præsertim fœminarum fauorem, & obsequium aucupantur, vt maximis deuotionis argumentis tamquam in admirabili aliquo genere Sanctitatis positos tales prosequantur cap. 2. de Reliq & venerat. Sanct.

Sit sexta Conclusio.

Quia veneratio hæc, & cultus Sanctorum vna est de maioribus Ecclesiæ causis, quæ inter Christianos proponi possit secundum glos. in verb. Sedis in princ. d. cap. 1. de Reliq. & vener. Sanct. & in qua cum multa oportet, cautela procedere, quia iudicium fieri debet de eo, quod iam statutum est in Cœlis vt Sanctæ Sedis auctoritate, ac definitione declaretur in terris, prout iussu Pauli Papæ V. respondit Orationi D. Iulij Romæ tunc S. Consistorialis Aulæ Aduocati postea S.R.E. Cardinalis instantis pro Canonizatione S. Caroli Borromæi D. Petrus Strozius Secretarius domesticus Apostolicus; ideo eidem Apostolicæ Sedi, vt tutius omnia peragerentur, Canonizationem

nem Sanctorum ſpecialiter reſeruauit Alexander I I I. cap. 1. de Reliq. & venerat. Sanct. & primus qui ſolemniter, & ſecũdum prædicta a Summo Pontifice in Sanctorum numerum relatus fuit S. Suitbertus Epiſcopus Vuerdenſis à Leone III. vt ſcribit Eminentiſs. Card. Bellarmin. tom. 1. Controu. lib. de Sanct. beatitud. & Canoniz. c. 8. & ſequitur Rocc. de Canoniz. Sanct. c. 5. verſ. Ego vero. Et propterea DD. verè aſſeruerunt, ad ſolum Papam ſpectare Sanctos canonizare, ſiue Martyres ſint, ſiue Confeſſores, ità communiter Canoniſtę in cap. 1. de Reliq. & venerat. Sanct. vbi Innocent. num. 2. verſ. ſolus autem Papa, Hoſtienſ. num. 7. verſ. ſolus autem Papa, Io: Andr. num. 5. verſ. ſolus autem Papa, rurſus Canoniſtæ in cap. 1. de Reliq. & venerat. Sanct. lib. 6. vbi gloſ. in verb. Sedis Apoſtolicæ, Gemin. num. 11. verſ. gloſ. in verb. Sedis, Turrecremata in c. 1. de conſecrat. diſt. 3. Troylus Maluetius d. tract. de Canonizat. Sanct. dub. 2. num. 6. Iacobus Caſtellanus de Canoniz. Sanct. quęſt. 3. princ. vbi verè addit ex ſententia DD. Nequè Epiſcopos (apud quos ſecundum Butr. Imol. Abbat. Anchoran. Hoſtien. &

alios

alios ante præfatam Alex. III. prohibitionem ius hoc non residebat) neque Legatos de latere, neque Collegium Cardinalium Sede Apostolica vacãte, neque Concilia Prouincialia, neque Concilium vniuersale, non interueniente Romani Pontificis auctoritate, posse Sanctos canonizare, neque illos proponere Populis, (etiam mature perpensis atq; discussis eorundem operationibus) tanquam Sanctos in Ecclesia venerandos nec alia in huiusmodi re versantia iuxta sacros Romanę Eccleſiæ ritus perficere, & solemniter statuere, aut decernere.

Hanc Conclusionem probat tex. in d. cap. 1. de Reliq. & venerat. Sanctorum, qui est immediatè relati Alexandri Papæ III. qui præfuit Ecclesiæ ad Annos Dñi 1160. Nam cum quidam quendam hominem in potatione occisum, tanquam Sanctum Martyrem venerarentur ita constituit. Illum ergò non præsumatis de cętero colere, cum etiamsi per eum Miracula fierent, non liceret vobis ipsum pro Sancto, absque auctoritate Romanæ Eccleſiæ venerari.

Sic sepn. *ma bon.* *clusio.*

Non possunt Episcopi, nec alij loeorum Ordinarij in suis Diœcesibus inducere celebrationem festi alicuius Sancti non cano-

 nizati

nizati per Papam, neque festiuitatem aliquam instituere, vt quidam olim censuerunt id iuris esse penes Episcopos suis in Diœcesibus, propterea quod in cap. 1. de consecrat. dist. 3. ità dicitur. Et illæ festiuitates, quas singuli Episcopi in suis Episcopatibus cum Populo collaudauerint, glos. tamen eo in loco id ad Romanum Pontificem pertinere asserit, neque licitum esse aliquid innouare, nisi præcedente Apostolicæ Sedis legitima approbatione, quam conclusionem ponunt Canonistæ in cap. 1. de Reliq. & venerat. Sanct. lib. 6. videlicet Geminian. num. 12. vers. nota primò ex ista glos. & Franch. ibidem num. 3. vers. in glos. magna Mascard. de prob. concl. 262. num. 50. Cened. ad decretal. collect. 52. num. 4. ac D. Bernardus in Epist. 174. ad Canon. Lugd. subindignatur, quod absque auctoritate Catholicæ Rom. Eccl. nouam inducerent celebritatem obtentu cuiusdam supernæ reuelationis, cum tamen de his omnibus se iudicium R. E. expectare profiteatur. Ratio est, quia vt in proxima sequenti conclusione dicetur, istum honorem, scilicet institutionis festi diei, consequuntur Sancti, post quam

a Roma-

à Romanis Pontificibus canonizati, & in Sanctorum albo sunt adscripti, & nouissimè S. Rituum Congregatio sub Vrbano Papa VIII. idem probibuit, innouauit, & declarauit.

Sit obla-tis, & Conclusio.

Omnibus canonicè peractis, & ritè seruatis, quæ per Sacros Canones in Sanctorum canonizatione peragi, & seruari iubentur; Sancti per Romanum Pontificem canonizati illos honores consequuntur, quos ipsimet Romani Pontifices in sententia diffinitiua Canonizationis illorum solent decernere, videlicet, vt ab vniuersali colantur Ecclesia, ac inuocentur, & die obitus festũ in eorum agatur honorem quolibet Anno, & officium solemniter celebretur, & vt ad ipsorum Sepulchra, & monumenta deuotè veneranda accedentes eas lucrentur Indulgentias, quę cęteris Ecclesijs Sanctorum eiusdem ordinis sunt conceſſę, vt in Libris Ritualibus S. Romanæ Ecclesiæ, & Cęremoniarum Sacrarij Pontificij, & plenius in Bull. Canonizat. S. Francisci de Paula factę per Leonem Papam X. S. Raymundi per Clementem VIII. S. Franciscæ Viduę per Paulum V. ac quamplurimorum Sanctorum continetur, & latè tradit Fran-

ciſcus Pena lib. 3. cap. 41. de vita ſupra relati S. Raymundi; & paucis interiectis Rocca de Can. Sanct. cap. 38. Eadem ferè memorant Canoniſtæ in d. cap. 1. de Reliq. & venerat. Sanct. vbi Innocent. num. 3. verſ. per hanc autem canonizationem, Hoſtienſ. num. 10. verſ. verum ſecundum Dominum noſtrum, & Iacob. Caſtellan. d. tract. de Canonizat. Sanct. quæſt. 9. princ. dicentes: Sanctum per hanc Canonizationem hoc conſequi, vt Eccleſia pro eo ſicuti pro Sancto, dicat ſolemniter Officium, & eum in Litanijs inter alios Sanctos licitè connumeret, & inuocet, atq; in Romano Kalendario Sanctorum deſcribat; quod nouiſſimè comprobat Felix Cintelor. de Canonizat. Sanct.

Addit Iacobus Caſtellanus præcitato loco, quod Sanctus canonizatus hoc etiam conſequitur, vt eius Imago pingi, & ſculpi poſſit cum diademate, ſeu corona, & quod in eius honorem, ac ſub eius nominis inuocatione poſſint erigi, ædificari, & conſecrari Altaria, atque Memoriæ, quo quippè titulo nominatæ ſunt Eccleſiæ à Maioribus, qui quidem vſus laudabilis ferè Apoſtolorum temporibus viſus eſt duxiſſe principium

pium ex semper seruata, atque propagata traditione, vt longè antè D. Augustin. lib. 22. cap. 10. de Ciuitate Dei testatur.

Sit nonus Conclusio.

Non licet alicui Defuncto Sanctimoniæ opinione, nondum canonizato solemnes, aut publicas fundere preces, illiusq; corpus, seu reliquias venerari probat Concil. generale Lateranense sub Innocent. III. c. 62. relatum in cap. 2. de Reliq. & venerat. Sanct., cuius verba sunt, Inuentas de nouo Reliquias nemo publicè venerari præsumat, nisi prius auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ; hæc ibi, & Canonistę in d. c. 1. de Reliq. & venerat. Sanct. vbi Innocent. num. 3. in fin. vers. nem non negamus; Hostiens. n. 11. vers. illud etiam non negamus Panormit. num. 3. not. 2. vers. & hoc intellige glos. in cap. 1. in verb. Sedis Apostolicæ vers. dicimus enim de Reliq. & venerat. Sanct. lib. 6. & ibi Archar. in fin. dicens sic: & adde quod notatur supra cap. 1. vbi nullus debet in publico venerari, nisi ab Ecclesia approbatus; & Io. de Montolon in suo prõptuario Iuris in verb. Reliquiæ idem fatetur.

Et signanter dictum fuit non licere, neq; solemniter, nec publicè colere Viros nondum canoni-

nonizatos, & in Sanctorum album canonicè cooptatos, aut Reliquias Sanctorum non probatas, cum hoc expressis verbis ita constituerit præcitatum Lateranense Concil. cui per Tridentinum non fuit derogatum, & tenuerunt Hostiens. & Panormit. locis præcitatis, qui omnem prorsus cultũ tam solemnem, quam publicum prohiberi dixerunt, & aliter verba generalis Concilij interpretari, est vim decretis Apostolicis manifestè inferre, vt patet ex prædictis; Et nouissimè Oecumenica, & Sancta Tridentina Synodus Sess. 25. de Inuocat. & veneratr. & Reliq. Sanctorum vers. nulla etiam, &c. sanxit non esse recipiendas nouas Reliquias, nisi recognoscente, & approbante Episcopo, qui simul atque de ijs aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium Theologis, & alijs pijs viris ea faciat, quæ veritati, & pietati consentanea iudicauerit, & paulò addit inferiùs, ita tamen, vt nihil inconsulto Sanctissimo Romano Pontifice nouum, aut in Ecclesia hactenus inusitatum decernatur.

Et vt omnis contradictionis, & dubietatis tollatur occasio præfatorum verborum S. Concilij Trident. germanus sic est intelligendus

dus sensus cõpetere Episcopis in suis Diœcesibus approbare Reliquias Sancti, videlicet canonizati ab Ecclesia, & illis approbantibus tamquam veras, & ad illum Sanctum pertinentes posse venerari, cui non obstat tex. in cap. fin. de Reliq. & venerat. Sanct. qui probat nullo modo licere Episcopo approbare Reliquias etiam Sancti antiqui, ac eas publicè venerandas exponere, cũ loquatur de Sancto per Ecclesiam non canonizato, Concilium verò de Reliquijs Sancti vindicati, & recepti, vt resoluunt Philiarch. de offic. Sacerd. p. 1. lib. 3. c. 9. ad fin. Soar. disp. 55. Sect. 2. vers. quęret aliquis. Azor. quæst. 8.

Iure quidem merito Romana Mater Ecclesia Sacr. Canonum, & generalium Conciliorum vestigijs inhærendo, ex eorum statuit præscripto, non licere Homines illos publicè colere, quos illa, diuina sua planè auctoritate non approbauerit, cum Deus, & Papa faciant vnum, & idem Tribunal secundum Hostiens. in cap. quanto de translat. Episcop. ideo pia, & firma fide credendum est eius Vicarium non falli in re tanti momenti, & aliter credere est hæreticum, vel temerarium Syluestr. in verbo Canonizatio n. 2.

Couar.

Couar. var. resolut. lib. 1. cap. 10. num. 13. Pegna in Direct. Inquis. part. 2. Comment. 42. ad fin. latè Rocca de Canoniz. Sanct. cap. 39. vbi alios cumulat, nam in omnibus definitionibus, sed & in omnibus actionibus, in quibus Summus Pontifex procedit, vt Papa non puri hominis, sed veri Dei quem impossibile est mentiri vicem gerit, c. quanto de translat. Episcop. ideò Sedes Apost. vetuit, vt sup. ne si aliter fieret inciderẽt Fideles in eorũ cultum, & venerationem, qui extrinsecis tantum operibus Sanctitatis gloriam venantur, illius instar Alexandri Pseudomartyris, de quo Apollonius apud Euseb. scribit hist. lib. 5. c. 17. in hæc verba. Vt non de pluribus verba faciamus dicat nobis ipsa Prophetissa de Alexandri factionibus, qui se Martyrem prædicat, & quem ipsa continuo familiariter excepit, quem etiam alij complures adorant: cuius latrocinia, & alia flagitiorum genera, pro quibus &c. cuiusmodi etiam erant Novatiani Martyres, in quos sæpè sæpiùs S. Cyprianus inuehitur.

Illud tamen verum est Hostiens. & alios præcitatis supra locis, vt not. Panorm. in d. cap. 1. de Reliq. & venerat. Sanct. n. 3. not. 2. à contrario

trarin sensu colligere, licere in secreto fundere præces ei, quem quis credit esse Vitæ excellentia, & ob sanctitatem in ipso dum viueret perspectam cũ Deo in Cœlis iunctum: nam cum in c. 2. de Reliq. & venerat. Sanct. ex Concilio generali dictum fuisset non licere publicè venerari Homines piè defunctos, & non canonizatos, aut Reliquias nouiter inuentas à Romano Pontifice, vel ab Episcopo, cui conceditur in Trident. supra relat. decret. nondum approbatas, & recognitas; tamen Doctores præcitatis sup. locis intulerunt se non negare. Quin fas sit priuatim aliquem piè defunctũ venerari pro Sancto etiã Sanctorum in catalogum nondum auctoritatiuè relato, ac illum priuata deuotione, quamuis pluribus adsentibus, in patrocinium apud Dominum inuocare, exemplo Sãctorum Nazianzeni, & Hieronymi, qui Athanasium, Basilium, & Paulam ab vniuersa Ecclesia in Sãctorum numerum, haùd recensitos, tamquam cum Christo regnantes inuocarunt, & insuper priuato loco Imaginem, seu Reliquias honore cõgruo in eius memoriam venerari, & aliquid ipsius, quo in vita vsus fuerit colere, vt honor Serui redundet in Dominum, & præterea si scandalũ absit priuatim in eius obitus die prohibitum non est seruilibus o-

poribus abstinere, Deo vacare, aut ieiunare, vel votum in eius cultum offerre etiam scientibus alijs, colligitur ex c. de Rel. & venerat. Sanct. vbi Panorm. n. 3. Syl. ver. Reliquiæ q. 1. Azor. q 8. & facit quod tradit Innocent. in c. Audiumus in fin. per illa verba. Item nõ negamus &c. Addunt tamen non licere, vt latè infra patebit (donec canonizatus fuerit) ad talem solemniter fundere postulationes, publicumque illi exhibere cultum nomine totius Ecclesiæ, & tamquam ab ipsa institutum, cum cultus publicus dicatur non qui coram alijs, sed qui vniuersalis Ecclesiæ nomine tãtùm exhibetur dixit glos. in d. c. 1. de Rel. & venerat. Sanct. lib. 6. in verb. Sedis Apostolicæ, vers. dicimus enim.

Sixt. decr. m. Con. clusio. Non licet eorum Imagines in Oratorijs, atq; in Ecclesijs, alijsq; locis publicis, atq; etiam priuatis cum laureolis, aut radijs, seu splendoribus proponi, neq; Miracula, & reuelationes, aliaq; beneficia à Deo per eorum intercessiones accepta in libris rerum ab ipsis gestarum imprimi, neq; ad illorum sepulcra tabellæ, Imagines, & res aliæ ad beneficia accepta testificanda, neq; lampades, neq; alia lumina appendi, nec aliud quodcumque veneration em, & cultum præseferens, & indicãs fieri, pro vt statuit, & decreuit Sac. record.

Vrba-

Vrbanus Papa VIII. die 13 Martij 1625. & deinde Decreta huiusmodi confirmauit, & declarauit idem Sanctissimus per eius sanctionem circa Processus pro Beatificatione, & Canonizatione Sanctorum conficiendos emanatam die 5. Iulij 1634.

Non est tamē prohibitum Præpositis Ecclesiarum, siue Oratoriorum recipere Tabellas, & Imagines huiusmodi, aliquibus simile hominum inter Sanctos, vel Beatos nondum adscriptorū in secreto tamen aliquo seorsum ab Ecclesiæ loco collocare, custodire, & asseruare, vt si quando Dominus noster eorum Virorum merita Beatificationis, seu Canonizationis honore in terris declarare voluerit, extent huiusmodi Sanctitatis quælescunq; probationes Apostolicæ Sedis iudicio tunc examinandæ, vt in fine prædicti Apostolici Decreti cautum legitur.

*Sit vlti-*Quæ hactenus dicta sunt de Canonizatione
*ma Con-*Sanctorum intelligenda quoque sunt de Bea-
clusio. tificatione, quæ cum sit quædam species veræ Canonizationis a solo Romano Pontifice concedi potest, eum in merito quia prudentis negotium non Primati, vel Patriarchæ alicui, sed plenitudini Romanæ & Orthodoxæ fidei Pontifici præsumimus a Christo Domino in Beato Petro eiusdē potestate sit credi-

creditum, quo nihil est maius, nihil augustius in tota Ecclesiæ gubernatione, hoc est homines iam defunctos cum fama Sanctitatis, & Miraculorum declarare pro Sanctis, cosq; vti tales colendos, & venerandos decernere, vt fassus fuit in Bull. Canoniz. S. Vbaldi Episcopi Eugubini Cœlestinus III. per hæc verba. Nos verò opus istud intuentes sensum, & intelligentias nostras excedere, quia potius est diuini iudicij, quam humani cum ipse solus plenè noverit, qui sunt eius.

Est autem Beatificatio particularis concessio, qua publicum, & canonizatis proprium aliquem cultum intra certos limites permittit Romanus Pontifex indulgẽs alicui particulari Ecclesiæ, vel Monasterio, seu Ordini Religiosorum, vt aliquem virum, vel mulierem, quem Papæ constitit fuisse Sanctum, vel Sanctam, ac fecisse Miracula, possint Fideles in illa tantùm Ecclesia, aut Religione venerari, & officium de eo facere.

Canonizatio verò est aliquem piè defunctum per Papam catalogo aliorum Sanctorum ascribere, & publicè, solemniter, & canonicè declarare, diffinire, & statuere, quod tamquam Sanctus ab omnibus honoretur, & fiat certa die Officium solenne annuatim, quale pro alijs Sanctis illius conditionis.

Obseruandum est præterea, quod antequam Romani Pontifices concedant præfata Indulta Beatificationum post factam inquisitionem de innocentia vitæ, miraculis, communi fama, & persuasione Sanctitatis, solent cõmittere examen aliquibus Viris doctis, & prudentia, probataq; vita conspicuis, vt videant Processum continentem probationes super Sanctitate Beati, vel Beatæ, & nisi causa plenissimè cognita non consueuerunt beatificare, idest licẽtiam illum Beatum colendi concedere, quia Beatificatio in hoc solũ distat à Canoniz, quod illa respicit vniuersalẽ Ecclesiã, Beatificatio autem singularẽ aliquẽ locũ.

Ex omnibus prædictis patet clarè respõsio ad propositum dubium, videlicet circa nõdum Canonizatos per definitiuam sentẽtiam à Papa, de Venerabilium fratrum suorũ S.R.E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporũ, & Episcoporum, tunc in Vrbe præsentium consilio, & vnanimi cõsensu latam; Vel circa nõdum Beatificatos, & tales declaratos per Indultum Romani Pontificis de Venerabilium Fratrum suorum S.R.E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum consilio concessum, donec illis ab Apostolica Sede Canonizationis honor decernatur; non licere nequam aliquem cultum solemnem, aut publicum eis exhi-

exhibere, nec omni festos dies publicè celebrare, nec Officium Canonicum ad formã in Rubricis Breuiarij Romani præscriptam publicè recitare, neq; illos in Missæ sacrificio, publicis Litanijs etiã priuatim recitatis, nec nomina eorum in Martyrologijs describere, neque illis templa, Altaria, Sacrificia instituere, & illorum Reliquias, publico in Templo exponere, neq; die obitus illorum Campanas pulsare, & Imagines cum diademate, radijs, seu splendoribus, in domo etiam priuata, pingere, seu sculpere, nec publicas, externas, & vocales præces ad illos posse persolui à Ministris Ecclesiæ ad id deputatis nomine totius Ecclesiæ, & Fidelis Populi, vt pro eo apud Deum instituant, neq; tandem illa omnia, quæ erga Canonizatos, seu Beatificatos solent ab Ecclesia præstari: nam secus contra Sacr. Canonum dispositionem, & S. R. E. receptum, & inueteratum morem, & laudabilem fieret consuetudinem non sine aliqua superstitionis, vel quasi Idololatriæ notã, ac conscientiæ scrupulo tales publicè Apostolica auctoritate non approbatos venerari pro Sanctis, vt in Rescripto, seu Apostolico Breui Leonis Papæ X. indulgẽtis publicam celebritatem B. P. Philippi Benitij Ord. Seruã simul videri potest relato in eius

Vitæ

Vitæ historia collecta per F. Cherubinum Mariam Odale lib. 5. cap. 3.

Neque aliquid in contrarium probant, quę commemorari solent ex multis Sanctorum historijs, & relationibus. Auditorum Rotæ in Canonizationibus Sanctorum, scilicet S. Didaci facta per sixtum Papam V. S. Hiacynthi per Clementem VIII. & S. Raymundi per Clementem ipsum VIII. quia quando ad sepulchra illorum Sanctorum, & similium donaria deferebantur, & lumenaria accendi permittebantur, iam per Episcopos Locorũ, de mandato Pontificis exacti ocis testibus, receptisque formiter probationibus cognitum fuerat de excellenti cum fide, Sanctitate, & præclara Miraculorum operatione, quę sunt requisita necessaria ad hoc vt quis Sanctus apud homines in Militante habeatur Ecclesia, & populo Dei ad virtutis exemplũ, & suffragij patrocinium proponatur, sic autumat Gregor. IX. in Bull. 4. Canoizat. S. Antonij de Padua §. 3.

Magoa insuper est constituenda differentia inter spontaneum, & voluntarium populi coocursum ad alicuius venerationem (oculos videntis nota erat, & explorata sanctitas, & fidei sinceritas) & procuratum, & humana industria quasi exactum ad eos colendos, quos

vix

vix dum viuerent aliqua insignis vitæ fama commendabat, & quos Deus, nec ex meritis præcedentibus, & signis subsequentibus exhibet venerandos.

Postremò illud obseruandum, grauiter puniendos esse, qui Romano inconsulto Pontifice istas venerationes publicas Defunctorum nondum in Sanctorum catalogo adscriptorum audent introducere, vt rectè Zanchinus docuit tract. de hæret. cap. 22. num. 8. Nec dubitandum, quin, aliquando similia præsumentes interrogari ab hæreticæ pravitatis Inquisitoribus possint, quid sentiant de Romani Pontificis potestate, qui iustis de causis hanc sibi facultatem probandi, & proponendi Sanctos Ecclesiæ colendos specialiter reseruauit, pro vt supra latissimè fuit ostensum.

LAVS DEO.

Imprimatur seruatis seruan. 23. Octob 1657.
Vinc. de Bardis Vic. Gen. Flor.

Imprimatur Florentiæ die 29. Octobris 1657.
Fr. Iacobus Cima de Setia Inq. Gen.

Alessandro Vettori Sen. Aud. di S. A. S.

SS 860376